

dius sugat, ut refert Isidorus, I. XII. etym. c. V. ita et concupiscentia rerum terrenarum siti æstantissima, ut de ea exclamet S. Augustinus: *O rabies omni fine carens!* serm. XL. ad frat. in eremo. Duæ ejus filie sunt appetitus concupiscibilis et irascibilis, dicentes: *Affer, affer*, quia nullis opibus, nullis honoribus, nullis voluptatibus satiari possunt. Quodnam igitur remedium hujusmodi rabiei? *Parum cineris assume*, inquit Bellovacensis, lib. X. spec. majo. cap. CLV. *et pulveriza super os hirundinis; statim enim se contrahit et ab appetendo cessat.* Magna haud dubie cineris vis! Hoc ergo nunc et Ecclesia facit, dum in capita nostra cinerem spargit dicens: *Memento quia cinis es, et in cinerem reverteris.* Si enim cinerem nos esse serio perpendamus, contemni non detrectabimus, siquidem paulo post pedibus calcandi sumus; ventrem non saginabimus, quem novimus paulo post vermium escam futurum; opes non tam avidè per terras quæremus, cum sciamus nos præter sindonem unam nihil ad sepulcrum elaturos; honores non ambiemus, cum sciamus nostri memoriam post mortem brevi deletum iri. Tali medio rex Josias usus olim fuit ad avocandum Hebræorum populum a cultu idolorum, IV. Regum XXIII. dum lucos, excelsa et altaria idolorum succendit et in pulverem redegit, eaque loca ossibus mortuorum et

cineribus replevit. Multa adhuc idola latent in cordibus peccatorum: tot videlicet, quot creaturæ amatae supra Deum. Quæ si cinis et memoria mortis exterminare nequit ex illorum animis, quid aliud poterit? Non vult tamen Ecclesia usum creaturarum nobis prorsus interdiceret et abominabilem reddere hac cineris cæremonia, sed usum earum inordinatum, immoderatum et illicitum. Quemadmodum enim mater videns filios comedere nimios fructus et obsonia, non valde salutaria; cum ea omnino dissuadere nequeat vel auferre, suadet ut saltem panem una cum illis comedant, quominus noxia sint: ita et Ecclesia cum impetrare nequeat ut rebus periculosis, deliciis, honoribus, divitiis, etc. prorsus absteineamus, suadet ut saltem iis moderate utamur et sine peccato; hoc autem futurum sperat, si iis cinerem adderemus et mortis memoriam identidem recoleremus; id quod profecto fecit David rex, qui Psalmo CI. ait: *Cinerem tanquam panem manducabam, et potum meum cum fetu miscabam.* Quare, auditores, submittamus capita nostra salutari huic cineri, quem si solide et sedulo inspiceremus, tum denique non modo stultitiam omnem pellere possemus, sed præterea veram sapientiam nobis comparare. Quam nobis, etc.

## AUCTARIUM.

### CONCIO I.

#### CINERIS ASPERSIO AD QUID.

Cinerum sacrorum aspersio utilis. — I. Superbiam domat. — II. Extinguit concupiscentiam. — III. Inimicitias et odia conciliat. — IV. Pœnitentiæ lacrymas parat.

#### THEMA.

*Memento homo quia pulvis es, et in pulverem reverteris.* Gen. III.

Res prorsus inutilis videtur esse cinis, ac ne res quidem; cum ignis omnia alia devorans, solum ex iis relinquat cinerem, tanquam rem nullius momenti. Et tamen interim cinis suas etiam operationes habet et commoda. Quare non video cur aliquis quantumcumque sit, resurgere ss. cineres debeat. Quoties enim magni domini calamum scriptorium suis auribus imponunt? Et tamen ipse calamus penna non nisi anserina est.

Sed nimirum ad scribendum utilis est, si manscite ducatur. Pari modo cineres videntur esse inutiles, sed si pia cum meditatione capiti imponantur, multum homini proderunt; uti nunc videbimus.

I. Cinis contegit et sepelit quasi splendorem ignis. Similiter mentis elationem sopit mortis memoria seu cinis. Videmus pavonem explicare flabellum suum et seipsum in eo contemplari ac quasi demirari, ostentare etiam se aspicientibus, quasi laudari gauderet; at cum fœdos et cinericii coloris pedes suos aspicit, illico flabellum dimittere præ erubescencia pennasque suas pulcherrimas abscondere. Pennæ tales in homine sunt forma corporis, doctrina, nobilitas, dignitas, opes, quæ plerumque hominem inflant faciuntque insolentem, jactabundum honoris et laudis cupidum. Verum si aspiceret homo in pedes suos luteos, h. e. in cinerem, in quem resolvetur ac desinet omnis ille splendor et orna-

tus; utique mox flabellum demitteret et fastum, suæque fragilitatis ac mortis memor erubesceret. Pavo talis fuit Nabuchodonosor ejusque statua, quam in somnis vidit; quæ cum ex auro, argento, ære et ferro esset conflata, pedes interim luteos haberet, unius lapidis ietu dissoluta est. Non tetigit lapis aurum vel argentum, æs aut ferrum, sed luteos tantum pedes, et tamen omnia illa simul corruerunt, qui supra lutum edificata fuerunt, sieque omnia pariter redacta quasi in favillam sunt, Dan. II. Pari modo omnia, quæ in hoc mundo splendent, divitiarum quasi aurum, forma quasi argentum, scientia quasi æs, potentia et robur quasi ferrum, supra lutum extructa sunt, de quo homo factus est. Quid ergo extolleris de istis, cum omnia tam fragili fundamento nitantur? Tangit mors hoc lutum, et cum eo omnia concidunt, atque in cinerem rediguntur.

II. Cinis hirundinum inglaviem et sugendi sanguinis appetentiam extinguit: *Parum cineris assume*, ait Vinc. Bellov. I. XX. spec. major. c. CLV. *et pulveriza super os hirundinis: statim se contrahit et ab appetendo cessat.* Idem teslatur Galen. tom. V. class. VI. c. I. Quinam tales hirundines? *Sanguisugæ duæ filie dicent: Affer, affer*, ait Sapiens, Prov. XXX. Duæ nimirum illæ concupiscentiæ notatæ a Joan. I. ep. c. II. *Concupiscentia carnis, et concupiscentia oculorum.* Sanguisuga ita sanguinis avida est ut haustum evomat quo recentem sugat avidius, teste Isidor. I. XII. etymol. c. V. sic gulosi vomunt ut bibant, bibunt ut vomant. At vero si cinerem esse se, et vermibus nutrire carnem suam perpendant: num adhuc sugere volent? Si opes quas tot studiis et curis quæerunt, cogitent sibi relinquendas in morte, et præter unam sindonem nihil hinc elaturos, num adhuc sugere pergunt? Certe Esau considerans se moriturum aliquando, jus primogenituræ suæ pro vili lentis edulio vendidit: *En morior*, inquit, *quid mihi proderunt primogenita?* Gen. XXV. Pharao nulla alia plaga permoveri potuit ut dimitteret populum Hebræorum sibi subjectum, nisi aspectu mortis primogenitorum: hic contemnere eum fecit tam numerosum populum. Neque hoc in solo rege operata est mortis cogitatio, sed et in populo Ægyptio, ut non gravate darent et permitterent Hebræis vasa aurea et argentea; imo urgerent eorum discessum, dicentes: *Omnes moriemur*, Exod. XII. Achab impius rex cum vineam a Naboth per vim et cædem ejus extorsisset, surrexit et descendit in vineam Naboth, ut eam possideret, sibique pro animi sui relaxatione excoleret et aptaret. Verum in via occurrit illi Elias, et denuntiat sententiam mortis: *In loco hoc, quo lixerunt canes sanguinem*

*Naboth, lambent quoque sanguinem tuum.* Quo aucto mox relicta vinea et molitione sua domum rediit, *et operuit cilicio carnem suam jejunavitque et dormivit in sacco et ambulavit demisso capite*, III. Reg. XXI. Stultum enim reputavit reum morti adjudicatum, non de morte, sed de hortis, palatiis, recreationibus cogitare. Quid agunt plerique in mundo? Perpetuo cogitant, quomodo emant, vendant, ædificent, plantent, recreationes et convivia instituant, denique insaniant. Hodie denuntiatur illis mortis sententia, sacerdote asserente, eos si minus, uti Naboth a canibus, certe a vermibus devorandos esse. Quis hæc audiens non referat pedem a mundi deliciis, intretque domum cordis sui, ut lacrymis et pœnitentiæ operibus se ad mortem paret?

III. Cinis seu pulvis inimicitiam et contentionem inter apes dissolvit. Sic enim scribit Virgil. in Georg. qui ubi descripsisset apud inter se certantium agmen, subdit: *Illi motus animorum atque hæc certamina tanta, pulveris exigui jactu compressa quiescunt.* Poterit ergo pulvis etiam contentiones hominum componere, si mortem cogitare velint. Certe antequam civitas Piurenensis, anno 1618. montis ruina opprimeretur, præcessit quasi omen, pugna inter duo apum examina tam vehemens, ut utrinque omnes mortuæ conciderint. Igitur in pulvere saltem pacem inierunt, dum in pulvere sepultæ sunt. Non caret mysterio, quod Gen. III. legimus de Laban et Jacob, qui cum acri contentione verborum inter se certarent, tandem cedente Laban erexerunt tumulum et comederunt super eo, sanxeruntque amicitiam, appellantes eum *tumulum testimonii*. Tumulus ille sepulcri typus est, quod etiam *tumulum* appellamus. Ergo si inter nos aliquando non possumus convenire, erigamus quæso cogitatione nostra tumulum, et super eo considereamus ac comedamus: cogitemus nos in tumulo omnes ad pacem componendos; sic speranda est concordia. Optima hæc mensa est, testis mortalitatis nostræ.

IV. Cinis lixivium nobis parat ad eluendas sordes idoneum. Non dissimiliter cinis sacer capitibus nostris inspersus parat acres et amaras lacrymas pœnitentiæ ad expianda peccata. Quæ ratione? Quando cogitamus sententiam mortis a Deo in nos latam esse ea voce: *Pulvis es et in pulverem reverteris*, quis enim non terreatur tali audito nuntio? Certe Saul quando a Samuele jam defuncto audivit: *Cras tu et filii tui mecum eritis*, perterritus cecidit porrectus in terram, diuque quasi extra se jacuit in terra, nec voluit comedere, I. Reg. XXVIII. In vita S. Greg. M. quidam spiritu prophetico motus nuntiat epis-

copo, nomine Lucido, qui e prandio papæ domum redierat, instare ei mortem post sex dies obeundam. Eo audito Lucidus continuo expulsiit atque contremuit: deinde in vatem frenduit, perque cubicula vagus discurret, cum male jam valere incipiens ad monasterium recurrit et monachus factus ad mortem bene se disposuit. Et vero quis post talem sententiam non fugiat ad pœnitentiam? Sane rei capitis post denuntiatum sibi mortis supplicium nihil aliud tractant nisi de pœnitentia et præparatione ad mortem. Jobum audiamus, cap. X. *Numquid non paucitas dierum meorum finiatur brevi? Dimitte me ergo ut plangam paululum dolorem meum, antequam vadam et non revertar ad terram tenebrosam et opertam mortis caliginis.* Cum filia illius ducis Jephthe (Jud. XI.) mortem sibi a patre indici audivit, mox facultatem petiit discedendi in solitudinem, ut ibi gemere et præmaturam suam mortem deplorare posset per duos menses. Antequam ei mors denuntiaretur, obviavit patri suo *cum tympanis et choris*, scilicet ipsa pulsabat tympanum et ducebat choros puellarum: at ubi se morti destinatum audiit, vultus ejus concidit, concentum in gemitu, choreas in lacrymas mutavit, et reliquum vitæ in luctu et squalore duxit. Sic antequam homo de morte cogitet, quid mirum si tympana pulset, splendide se vestiat, choreas instituat? Et nunc quando Ecclesia mortem nobis denuntiat, quis erit, qui lætari queat! Imo qui non ad suspiria et lacrymas, ad pœnitentiam confugiat?

Quare sicut sedulæ mulieres non abjiciunt cinerem sed diligenter asservant, scientes quia multum ipsis servit: ita et nos non abjiciamus, non spernamus cinerem benedictam, quia superbiam premit, gulam compescit, iracundiam sedat, ad pœnitentiam disponit, per hanc deinde ad gratiam ac denique ad gloriam perducit.

## CONCIO II.

MORTIS MEMORIA PASSIM IN OCULOS INCURRENS.

I. Occurrit in aspectu cœli. — II. In quatuor temporibus. — III. In quatuor elementis. — IV. In corpore nostro. — V. In habitaculis nostris. — VI. In festivis hominum gaudiis.

## THEMA.

*Memento homo quia pulvis es.* Gen. III.

Celebris est historia, a S. Joan. Damasc. scripta de Josaphat et Barlaam, quæ refert regem ethnicum Abenner in partibus Indiæ, cum ei filius

speciosissimus Josaphat natus esset, omni cura adlaborasse, ut filius, quem vates Christianum futurum ei prædixerat in omnibus ac meris educaretur deliciis; ac ne unquam ei species alienus rei tristis objiceretur, in palatio inclusus inter aulæ gaudia perpetuo versaretur. Verum cum hæc ipsa tam arcta et diuturna quasi captivitas mœrorem filio injiceret, permissum illi a patre est, ut subinde etiam foras cum ministris egrediretur; sic tamen, ut interim ejus animus non nisi jucundis sermonibus et speculis occuparetur. Factum id quidem est sed non poterat præcaveri, ne quando triste aliquid in juvenis oculos incurreret. Igitur obvius ei fit primo cæcus, mox leprosus. Miratus ille tam foedam ac miserabilem hominum speciem, rogat ministros, quid hoc mali sit, et an certis tantum hominibus id contingere soleat, audiensque posse quibuscumque, non parum contristatus est. Rursum egressus senem canitie oppletum, edentulum, incurvum, rugosum aspiciit, et quid hoc monstri sit, quærit, hominem ætate confectum, morti proximum audit. Miratur homines eo miseriam venire et ad extremum, mortis prædam fieri. Quare mortis memoriam semper in mente volvens, non acquievit, donec nactus hominem christianum, a quo in fide instrueretur. Christianus tandem et eremicula sanctus evasit. Multi sunt Christiani, qui nihil minus quam de morte audire ac cogitare volunt, unde nec ss. cineres suscipiunt, cum tamen eis undique memoria mortis in oculos aliosque sensus incurrat. Quare ostendamus eis passim mortis simulacra tam salutaria et necessaria.

I. Aspice cœlum et in eo videbis mortis imaginem. Vides enim interdiu solem, noctu lunam et stellas nasci quasi in oriente, vivere supra horizontem, mori in occidente. Vides astra sibi succedere, jam hoc jam illud: at hoc modo nos quoque serius aut citius metam properamus ad unam; jam hic nascitur, ille moritur; omnes brevi tempore, dum in vita, quasi supra horizontem sumus, splendemus et discurremus; interim velocissime ad occasum mortis properamus licet stare nobis videamur, quemadmodum et solem et astra stare arbitramur. Verum mundi amatores orientem quidem vitam aspiciunt, occidenti vero terga vertunt, ut illi viginti quinque viri Ezech. VIII. quia mortem post tergum abjiciunt. Taceo quod ipse sol et astra sæpe nos percutiunt et mortem, pestem, faciem causant, ut ita gladium mortis supra nos semper capiti nostro imminentem habeamus, uti parasitus ille Dionysii, Damocles.

II. Quatuor anni tempora a solis obliquo cursu

causata, imago vitæ et mortis nostræ sunt. Ver infantiam et puerilem ætatem, æstas ferventem juventutem, autumnus virilem ætatem frugiferam, hiems tristem senectam, ipsamque adeo mortem, quæ hiemis instar æpelit homines, luce clarius indicat. Mutatur homo cum his temporibus; in vere infantia et pueritia imberbis, decorus et floridus est: in ætate juventutis barbam acquirit et fervet: in autumno virilis ætatis consistentiam roboris habet: in hieme senectutis canescit, corrugatur, dentes et spiritum amittit, sicque sensim omnino deficit. Et tamen miseri mortales se ad mortem currere non advertunt. Quare si recte nos inspicere velimus, similes inveniemur candelabro illi magno quod in septimanæ s. nocturnis tenebrosis plenum candelis ardentibus proponitur, de quo post singulos psalmos et lectiones candela una extinguitur, sicque alias extinctas, alias adhuc ardentes sustinet. Hunc in modum vita nostra quot ætates, imo quot dies, tot quasi candelas ardentes gerit; quæ dum paulatim aliæ post alias extinguuntur, superest ut partim mortui simus, partim adhuc vivamus. Extincta juvenibus est pueritia, viris etiam juvenus, senibus etiam virilis ætas, et sic ultima solum eis candela superest, tristis senecta.

III. Quatuor elementa mortem nobis ante oculos ponunt. Ignis in lucerna oleo subtracto statim evanescit: ita vita nostra subtracto humido radicali perit. Unde Democritus et Hipparchus apud Aristotelem, l. I. de anima, existimarunt animam hominis esse ignem. Quare Sap. III. vita nostra vel calor vitalis appellatur *sermo scintillæ, ad commovendum cor nostrum: qua extincta, cinis erit nostrum.* Quoties ergo ad lampadem vel candelam sedemus, vitæ nostræ fragilis semper typum habemus: quoties emungimus, vitæ nostræ decrementum: quoties extinguimus, mortis imaginem videmus. Hinc de moriente solemus dicere, extinctum esse sicut lumen in lampade. Ex igne nil remanet nisi cinis, tota alia materia visibilis abit in fumum: sic et vita hominis non nisi cinerem post se relinquit: quidquid aliud habuit terreni, in fumum transit.

Aer et ventus quam celeriter avolat, tam et vita nostra. Unde dixit Job, c. VII. *Memento quia ventus est vita mea.* Quid potentius et impetuosius vento, dum viget? Quid non movet ac sternit? Interim quid inanius ac fugacius? Ad hæc cum fugit, non revertitur. Denique, a vento et aere, hoc est, a respiracione pendet vita nostra. cluseris vel ad modicum, confes-  
ergo vita nostra tametsi

inquieta et imperiosa, cito suum cursum peragit nec revocari amissa potest: tenuissimo denique in filo pendet respiracionis. Quoties igitur auram attrahimus, toties mortalitatis nostræ admone-  
mur.

Aquæ similiter transeuntes mortem nobis proponunt. Sic enim illa Thecritis, II. Reg. XIV. ait: *Omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur.* Aqua fluminis per declivem locum semper decurrit, nunquam stat, donec ad commune aquarum receptaculum, pelagus perveniat: ita vita nostra nusquam hæret, sed continuo versus commune hominum diversorium, sepulcrum tendit. Unde solemus dicere de capulari sene, quod jam pedem unum in sepulcro habeat. Flumina cum in mare se exonerant, amittunt sua nomina, quantacumque illa sint, et dulcem aquam suam perdunt in amara. Ita nos mortales quantumvis in vita celebres et nominati, perdimus in morte, eheu valde amara, omnem hujus vitæ dulcedinem, gloriam et potentiam.

Terra quid nisi speculum mortis, imo mater et gremium mortuorum est? Genuit illa homines, et rursus in sinum recipit. Ab Adama Adam, et ab humo dictus est homo: *Quia terra es et in terram redibis*, ait Dominus, juxta Septuaginta.

IV. In corpore nostro mortem non modo aspiciamus, sed et circumferimus quotidie. Nam primo, ex ipso corpore nostro nascuntur putredines, quæ per varia ostiola debent expelli et exonerari, per nares, os, aures, oculos, etc. Unde Isa. L. dicitur: *Ecce omnes sicut vestimentum conterentur, tinea comedet eos.* Ut enim e veste nascitur tinea, quæ eadem madvertenter corrodit: sic e corpore nostro putredines, pediculi, noxii humores; qui furtim quasi nos conficiunt. Et cur sanguinem educimus per cucurbitas et venisectionem, nisi quia mortem nobis minatur? Cur putridos dentes extrahimus? Cur membra infecta abscindimus, nisi ob mortis minas? Et sic contingit nobis, quod turdo, de quo Platus dixit: *Ipsa sibi avis mortem creat, viscum scilicet.*

Secundo, advertimus in pulsu cordis nostri motum, et (si noctu in quiete aures arrigimus) quasi duos homines arborem serra secantes. Arbores nos sumus, systole et diastole duo sectores sunt, qui tandiu secant, donec arbor cadat. Et hi sunt duo illi mures, niger et albus, hoc est, nox et dies, ut dixit Barlaam Josaphato, qui perpetuo rodunt arborem, de qua pendet homo, qui fugiens unicornem incidit in serobem, apud Damascenum.

Tertio, ipsæ quoque vestes nostræ mortis me-

moriam nobis ingerunt. Quid enim pleræque vestes nisi pelles mortuorum animalium sunt? Nec alia de causa Deus primis nostris parentibus postquam deliquerunt, pelliceas induit tunicas, nisi ut earum aspectu mortis, quam incurrerant meminissent, ut scribit S. August. in Ps. CIII. Ipsæ etiam vestes dum sensim inveterascunt et denique lacerantur, similis fragilitatis ipsos quoque homines admonent.

Quarto, arma quæ gestantur, et hominem defendant nonne eum morti passim obviæ clamant obnoxium? Qui enim nullum vitæ suæ periculum metuit, ad quid ipsi arma? Ergo qui armatus incedit et aliis terrorem mortis incutit, et ipse mortem sibi inferendam metuit. Unde arma in ss. litteris *vasa mortis* appellantur, Ps. VII. Brasilia in Paraquaria ex ossibus mortuorum hominum sagittas sibi conficiunt, sicque mortem ex morte eundunt.

V. In habitaculis nostris quid nisi undique mortis imago? Interroga primo, domum tuam, a quibus extracta fuerit, a quibus primum inhabitata. Nonne responderet, si loqui posset, eos dudum esse mortuos, ac magno quidem numero? Quot ea jam dominos, quot incolas sepelivit? Itaque te propediem similiter sepeliet. S. Amatus presbyter et abbas Romaricum virum nobilem unica hac voce ad meliorem vitam mundique contemptum perduxit: *Quot, putas, habuit dominos seu possessores discus hic tuus argenteus, in mensa appositus. Hunc eundem tu quoque resignabis alteri, et ille rursus alii, quare unus iste discus quot dominos sepelivit?* in vita 13. septemb.

Secundo, quod hinc inde cernimus corruiße ædificia, olim splendida, et ut putabatur, fortissima, imo oppida et urbes potentissimas? Quando citius cadent homines, si hæc cadere potuerunt? Movit hæc ruinarum species vel ethnicum Sulpitium, qui apud Ciceronem, lib. IV. epist. ait: « Ex Asia rediens cum ab Ægina Megaram versus navigarem, cœpi regiones circumcirca prospicere. Post me erat Ægina, ante Megara, dextra Piræus, sinistra Corinthus, quæ oppida quodam tempore florentissima fuerunt, nunc prostrata et diruta ante oculos jacent. Cœpi egomet mecum sic cogitare: Hem nos hominuli indignamur, si quis nostrum interiit, aut occisus est, quorum vita brevior esse debet, cum uno loco tot oppidorum cadavera prostrata jacent. »

Tertio, ante ingressum civitatum occurrunt viatoribus furcæ, rotæ et loca suppliciorum, tristia sane mortis spectacula, quæ ostendunt, quid sint hominum corpora ab anima destituta:

quam horrida et foetida, quam abominanda: ut quicumque ea loca transeunt, claudant nares et oculos: corpora, inquam, quæ in vita tam delicate nutriunt, fovent, lavant, comunt, ornant et exosculantur homines, postea præ horrore aspicere non audent. Occurrunt deinde plerumque cœmeteria et ossuaria, quæ ostendunt nobis quales, et ubi post mortem futuri simus in tumulo, scilicet mortuorum, per omnia ipsis similes. Erant illorum plurimi olim celebres sapientia et eloquentia dignitate conspicui, nobilitate insignes, splendide ornati: nunc ossa et cadavera sunt. Occurrunt et ante ingressum templi, et in ipsis templis passim sepulera majorum nostrorum et epitaphia: per ea transimus, super ea stamus hic et sedemus; quomodo ergo fieri potest, ut mortis immemores aliquando esse possimus? Ethnici olim mortuos suos in conspectu hominum averruncabant, comburebant, aut bestiis objiciebant, astu scilicet diaboli, ne memoria mortis territi, vitam ad modestiam et honestatem componerent, non ita nos Christiani.

Quarto, ipse lectus noster, quid nisi sepulcri imago est? Nonne vestes exuunt, qui in lectum conscendunt? Et nonne vestibus omnibus spoliantur, qui sepulcro inferunt? Ad hæc somni sensuum omnium consopitio, tametsi brevis est, unde consanguineus et frater mortis appellatur, juxta id lethargo morientis: *Jam frater fratrem amplectitur.* Ita Sisara ille dux in somno enectus soporem morti socians defecit et mortuus est, Judic. IV. Denique, ipsum sepulcrum lectum omine appellamus lectulum quietis.

VI. In ipsis festivis hominum gaudiis mortis abesse memoria non potest. Primo, in natalitio festo. Natus infans apud gentiles olim mox in terram deponeretur, velut brevi in terram rediturus, adeoque terræ filius. Ad hæc prima notorum vox ploratus est. Unicus Zoroastes risit mox natus. Deinde, in baptismo immergitur in aquam, ad memoriam sepulti Christi, cui conselpeliri debeat: accipit et cereum ardentem in manu, quemadmodum et morientes, ut discamus mori, et sciamus, ita nos hinc abituros, sicut ingredimur in mundum. In ipso natalitio convivio, quod constituerunt nonnisi duo, Pharaon et Herodes, mors abesse non potuit. Nam sub illo, Pharaon pistorem suum in furcam egit, et Herodes Joanni Baptistæ caput abstulit.

Secundo, in nuptiis cum formantur tabulæ contractus, inter alia et hoc inseritur: qui prior conjugum e vivis excesserit, relinquet superstiti hoc aut illud. Si liberos genuerint, primogenitus sit hæres, eo mortuo secundo genitus, etc. Ecce

nondum celebratæ sunt contrahentium nuptiæ, nondum nati filii, et jam agitur de morte tam filiorum quam parentum. Bene ergo in regno Mogor pridie nuptiarum visitant sepulera majorum, qui eas celebraturi sunt, ut alibi dixi.

Tertio, in regum inaugurationem quoque mors se insinuat. Antiquitus creato imperatore statim quærebatur ab eo, ex quo marmore vellet sepulcrum habere, inquit Lyran. in Job XXXIV. Nostri reges et imp. dum inaugurantur, spargunt in plebem pecunias, sua effigie insignitas. Et quid ea pecunia fugacius? Cum enim rotundæ sint figuræ dum numeratur in mensa, jam hic, jam ille nummus incipit rotari et nisi retineatur celeriter manu, devolvitur e mensa in terram: denique omnes monetæ ubi adnumeratæ sunt, conglomerantur et imponuntur in unum loculum. Sic nimirum transit gloria mundi, et homines in hunc mundum a Deo inducti, repente iterum unus post alterum diffluit et delabitur in terram, unde prodierunt. Pauci aliqui ad tempus retinentur a medicis sed post iterum concidunt. Hinc apost. *Qui utuntur hoc mundo tamquam non utantur: præterit enim figura hujus mundi.* Olim fuere aliqui populi, qui nummis ex ossibus mortuorum confectis uterentur, apud Sen. in Causin. I. XII. c. III. forsitan ut potentius memoriam sibi mortis infingerent.

Quarto, in summi pontificis inauguratione mortis memoria ei inculcatur. Primo, dum stупpa eorum eo accensa dicitur: *Sic transit gloria mundi.* Secundo, dum suggeritur, quod annos Petri viginti quinque scilicet non videbit.

Quinto, in conviviis quoque adest non una mortis effigies. Quid enim plerique cibi nisi carnes mactatæ et emortuæ? Ad convivium Balthasaris accessit mortis non tantum memoria, sed et ipsa mors, quando eo convivente conscripta ipsi in pariete mortis est sententia, et eadem nocte executioni mandata, Dan. V. Ad convivium Theodorici regis Rom. penetravit mors, quando apposito sibi piscis grandi capite perterritur, caput Symmachi, per injuriam a se decollati, se videre existimans, in mœrorem et atram bilem actus periit. Sed nihil supra convivium, quod instruxit Domitianus imp. primoribus senatorum et equestrium. Apparavit aedes omni parte nigerrimas. Erant enim atra laquearia, parietes ac pavementum, in eoque sedes nudæ eo modo collocatæ erant. Quibus paratis eos introduci jubet, absque comitibus, ac primum omnium juxta unumquemque columnam collocat, factam instar sepulcri, in qua nomen ejus scriptum erat, pendebatque de ea lychnuchus parvus ut assolet in monumentis, tum nudi

pueri atramentoque obliti tamquam spectra quædam ingrediuntur, eosque horribili saltatione circumeunt, eoque facto ante ipsorum pedes consistunt; ad extremum omnia, quæ in exequiis mortuorum adhiberi solent, in vasis eodem modo eis apposita fuerunt. Cœna interim peragebatur magno omnium silentio, ut qui timore pene exanimati essent. Domitiano insuper sermonem de iis, quæ ad mortes et funera pertinerent, super mensam ingerente, auctore Xiphilino, in Domitiano. Notum etiam Ægyptios in conviviis statuisset et circumduxisset larvam mobilem mortis specie, ut bibitori illam intenderent, ex Herodot. I. II. Nostri in conviviis ejus loco vitra statuunt et circumferunt, at nonne ea mortem ponunt ante oculos? Bobadilla noster ex primis decem unus, in satrapæ cujusdam mensa, fracto per quemdam scypho crystallino pretiose æstimato, diluturus frangentis culpam et irascentis heri impetum cohibiturus: *Rex, inquit, tanti steterat, tamque caduca fuit.* Sic motum heri sedavit: cogitent hæc ii, qui conviviis vacant et poculis.

Quid igitur faciendum nobis, cum videamus undique mortis imaginem nobis propositam et necem intentantem? Non est effugii locus, undique circumvallati sumus, undique ad necem querimur: manus ergo dandæ, et ad moriendum animus comparandus est. Discite consilium vel a latrone. Coracotta insignis in Hispania latro fuit, quem undique inquiri imperator jussit, spondens decem millia aureorum ei, qui caput ipsius attulisset. Id ubi intellexit Coracotta, ipse se et caput suum imperatori sistit, postulans promissam pecuniam, quam et obtinuit una cum libertate, Dion. in August. Quærit etiam Deus vitam, et caput nostrum, morte undique nobis insidiante: væ nobis si ab ipsa fuerimus intercepti! Itaque nos ipsos sistamus Deo, mortem frequenter meditando, et ad eam nos ultro ac libenter offerendo, ac parando. Sic placabitur nobis Deus, et non tantum vita nos donabit sed etiam beatitudine

## CONCIO III.

## MEMORIA MORTIS UTILIS.

I. Quia valet contra mortem acerbam. — II. Valet contra malam mortem. — III. Valet contra venenum intemperantiæ.

Mirantur aliqui, maxime hæretici quid sibi velit pulvis hac die Christianis aspergi solitus. Sed quid necesse habent mirari? Nonne sciunt me-